



**Lucae vande Poll ... Hollandia frustra tentata anno 1672 & 1673
sive De memorabili Ducis Luxemburgii Gallorumque excessu
e regione & urbe Ultrajectina : epos, solenni recitationis
publice actu effusum, cum eruditum & magna spei juvenem D.
Petrum ab Eyndhoven, Wourda-Bata. J.U. doctorem
renuntiaret auctor**

<https://hdl.handle.net/1874/20598>

615.

L U C A E V A N D E P O L L ; Ultraj.
J. U. D. & PROFESSORIS,
HOLLANDIA FRUSTR A TENTATA

anno 1672. & 1673.

S I V E D E

Memorabili, post miram belli varietatem,

Ducis Luxemburgii Gallorumque

Excessu è Regione & Urbe Ultrajectina,

E P O S ,

Solenni recitationis publica actu effusum, cum eruditum &

magna spei Fuyenem ,

D. PETRUM ab EYNDHOVEN , Woudâ-Bac.

J. U. Doctorem renuntiaret Auctor,

Nunc paulo cumulatis.

Ytbo
820.



U L T R A J E C T I ;

Ex Officina Meinardi à Dreunen , Urbis & Academiæ
Typographi ordinarii, anno 1680.

FAusta cano Belgis , lætos post nubila soles ,
Atque arma , armorumque vices , quas pacis in
umbrâ

Tranquillis meminisse licet. Felicia Gallis
Bella prius ! tunc bella adversa ac tristia Belgis ,
Cum gestiret ovans inimicaque dextra virorum
In Batavo plantasse solo *tria Lilia Regni*,
Aurea , cæruleis rutilantia *Lilia* signis !
Admiranda loquar , nostris conspecta diebus ,
Et meritò feris tradenda nepotibus (at sic
Pleraque risuris forsan , vel & omnia , tanquam
Somnia) quæ jam nunc promam non-somnia , tantus
Quam victor populus , validas ut ceperat urbes
Tot subito , ac solo adventu , terroribus actus ,
Trajecto plaudente fugax , post ense receptam
Battavico Nardam , oppugnataque moenia *Bonna* ,
(Pulverulenta velut nubes , quam colligit atra
Tempestas , sursumque rapit) sua vertere terga
Cœperit. O ! terris quantum his idem ille stetisset
Invictus , si tot scivisset victa tueri !

Dirige me in portum , *Omnipotens* , Qui rebus in arctis
Battavia Solamen eras : da posse volenti :
Annue ter facilis , Qui Spes mihi Sola laborum es.

Vidisti toties , oculata , ô Belgica , testis ,
Belli pressa maliis (palmae sed more reniti
Quæ sic pressa soles) vidisti , Portio Mundi
Parva quidem , sed magna Heröum ô Area , quām Se
Mira illa humanis *Divina Potentia* rebus
Misceat ; & memorare potes , quæ maximus Orbis
Audiit , ac fasti jam-dudum mille loquuntur :
Ipse etiam memori , quæ pandam , pectore volvo .

Venerat, utque ruunt liquidæ de monte supino
Alpinæ, properantque, nives, spatia ampla viarum
Emensus, celer, ecce! aderat *Rex Liger*, & jam
Evacuabat adhuc nostras heu! lauriger arcas,
Ac spoliis montes spoliorum addebat opimos,
Ille viris opibusque potens *Ludovicus*, in Aulâ
Qui magnâ cum prædæ expers, cum vivere felix
Posset, in attonitos nimiâ formidine *Belgas*,
Bellorum moli jam par, *nec pluribus impar*,
(Sit potior quamvis centum pax una triumphis)
Arma mari terrâque palam ferti horrida jussit.

Usque adeò indomitis cessit mox subditus iris
Isala, & Iliaco firmissima robore circùm
Vesalia, atque ipsi (Mavortia pectora) *Gelri*.
Tu quoque deplorata jugo dare colla nefando
Cogebare, togâ rebusque Urbs inclyta gestis,
Trajectum infelix, Bellona ubi Gallica sedem
Fixerat, & Musas armata fugârat inermes.
Necdum erat æstivi ingressus signa aurea Cancri
Tot qui Sol maria ac montes, dum dividit annum,
Illustrat, curruque diem fulgente reducit,
Fervidus ut *Regi* siccârat flumina, jamque
Illi *Aquilæ Europææ*, Aquilæ illi in nubibus altis,
Evanescentes ad nos dabat ire per undas.
Postquam ierat, spectare domi atque audire malorum
Tædebat miseros seriem. Vidi undique, vidi
(Qualia terrificum comitantur plurima Martem)
Vincla, fugas, rabiem, turbas, vim, funera, fures,
Exitia, horrores, tela, ignes, flagra, ruinas,
Totque domos intus; dicamne immanibus ursis
Obsessas, trucibusque lupis, an milite Gallo?

Ah!

Ah! quoties, frustra conantem exire, repressit
Invitum clausis ciuem vis ferrea portis !
Luctus agros, luctus non unam invaserat urbem ,
Priscaque Majestas cum libertate jacebat,
Imperiumque sine imperio, sine robore vires,
Robore Cyclopum quēis par non turba fuisset.

Frigidus interea circum tremefacta cōibat
Corda crux; creberque per ipsa repente cucurrit
Ossa metus; quasi Lernæis redeuntibus hydris,
Ora venenato pendentibus horrida dente,
Quinquaginta atris immania hiatibus ora.

,, Sæpe adeo ex animis *virtus, non territa monſtris.*
,, Exulat, anxietasque habitat, terrorque, pavorque
,, Intus, & humanos mutat trepidatio vultus;
,, Corporaque, immotum Niobes referentia saxum,
,, Haud aliter riguisse putas, quam si obvia Gorgon
,, Adstaret, capite anguifero fœdissima circum.

Heu Patria! *Albanum* quæ fastidire tyrannum
Carnificumque minas ausa, Hispanosque furores ,
Nec tunc passa tibi constringi brachia vinclis,
Nunc imbellis eras; possesque columba videri ,
Aut ovis, aut cerva, aut sine dente leæna, ubi nidos
Deseruisti ultrò, minitante tibi ultima Gallo,
Jamque tuas implente vias, jam cantibus ædes :
Cœlitus inflictam meruisti hanc denique pœnam.
Quis faciem rerum infandam, quis singula de te
Enuclëet! Cum castra tuis admoverat hostis
Finibus, hastarumque seges se inferret in arva ,
Solamen fuga ubique fuit: Dira æra tonabant:
Aëra teter odor, regnum vespillo tenebat

Mille inter tumulos , atque inter vilia mille
 Ilicet angustis injecta cadavera cellis,
 Seu plumbi transfixa globis , seu passa cruentas
 Ense neces , faniemque ictis sudantia membris.
 Parte aliâ albentes horreter ossibus agros ,
 Purpureasque cruento vias : quâque ire capella ,
 Quâ bos antè boare solet , sonuere virorum
 Clamore aut clangore tubarum pascua, villæ,
 Et colles : valle ex imâ se mobilis Echo
 Vocibus ac vicibus diffudit in aëra crebris;
 Tympanaque ingrato repetebant murmure murmur.
 Non Damon capros , nec agebat Tityrus hædos.
 Euclio , dives opum , plena fœpiverat ollas:
 Abduxit Nisam secum , & sua pignora , Mopsus :
 Illa patrem , natos alibi flevere parentes:
 Maluit infectas Corydon Amaryllidis iras,
 Quâm raptum pecus omne , pati. Jam rure relicto ,
 Migrarat tunicata quies. Vaga Thestylis , albus
 Deformem aspectu pallor quam fecerat , altos
 Non fugitura amnes , potius fugitura per Alpes ,
 Quam ferro passura necem , nec ab urbe redibat
 Ære gravis , nec jam cantabat ad ubera vaccæ.
 Parva fuit satis una ratis , quâ evaderet enses.
 La : pingue , & Batavus cedebat caseus hosti ,
 Caseus , auratos imbres peperisse colonis
 Qui solet , ac populis dum latè alimenta ministrat ,
 Terrarum spacia , Oceanumque , undasque pererrat.
 Tota expiranti similis sic , *Belgica Mater*,
 Jactabare , truci navis velut æquore. Quæ tam
 Dura silex , lacrymas molles ut dura teneret ?

Flumina luminibus plena exivere dolorum,
Ore querelarum series, suspiria corde.
Mœrentum pars ipse fui, arrectoque rigebant
Multo horrore comæ, horrendum cum nuncia verum
Fama tulit, *Supremo arsisse sacrata Tonanti*
Atria, templorum moles, *Wordaque ruentis*
In Batavis periisse decus, quæque aſtonat undis
Lecca suis, paſſam jam *Ameidam* bella facesque,
Jam Trojæ in cineres *Bodegravam* abiisse propinquam;
Tum prædas inter medias, centumque dolores,
Ah! vivos miserorum artus vivo igne perentos:
Mox, velut exta canum, in flamas coniecta parentum
Pignora, nec flexisse truces tenera ora tyrannos.
Tantæne (exclamem) tantæne heu! hostibus iræ!
Tanta odia in Batavos Batavum fautoribus olim!
Crudelis miles magis, an magis ira ferarum?
Sæva fera in sylvis, crudelis tu quoque miles,

Sol, aliis semperque idem qui nasceris Orbi,
Sol, Europa, mare, ac tellus, horrescite. Fas est,
Fas, ifstud damare nefas, quod ut auribus haufit,
Fallor? an ingenuit? *Rex ipse misertus, & undas*
Amne minus keto indignatus *Sequana* volvit?
Fallor? an & Luna erubuit, si talia vedit?

Ac veluti ventris vacui latratus abactum
Nocte lupum cogit plena ire ad ovilia, nunc hoc,
Nunc latus explorantem illud, spe donec inani
Delusus furit incassum, siccisque recedit.
Faucibus, & reducem se fratum ululatibus addit,
Quæ longè nemora alta sonant, at tutius intus
Balat mater ovis, balant sub matribus agni,
Haud secus *Hollandorum* in opes abreptus amore,

Ille adeò armipotens bellator Liliger , omnem
Sèpè modum frustrà, atque aditum tentaverat omnem,
Quo (*Bodegraven*es vi depopulatus agellos)
Mille iret raptum gazas, queis *Haga* superbit.
Illic *Auriaci* si augusta Palatia *Solis*,
Quæque auri vibrant *Procerum* Capitolia fulgut,
Vis gladii invasisset ovans , Carthaginis *Haga*
Deletæ ferret faciem. Quin signa moventi ,
Qua gelido solidarat aquas bruma horrida ponte ,
Ni via sub pedibus , glacie pereunte , perisset ,
Jam tunc , ô Arx Aönidum , *Leida* ipsa perisset,
Et sterilem fœdis pareres nunc graminis herbam
Relliuiis , læto circùm quæ fertilis agro
Excellis frugum Genitrix , ubi languidus errat ,
Mox qui *Cattigenum Rhenus* se perdit arenis ;
Prolabi Oceanum frustrà dum tentat in amplum.

Sic postquam fragili pendere *Hollandia* filo
Visa fuit , bellique æstas jam prima , suoque
Cessit hyems metuenda gelu , non pervia Gallis
Stabat adhuc Regio , campique herbaeque latebant
Diluvie fluviorum , immisclarumque paludum.

Tuta tegi sic tota potest , latèque profundo
Hic tellus *Hollandia* mari defenditur , illic
Amnibus. Hos facile est ruptis diffundere claustris ,
Jugera quæ spatiofa patent , quæ pascua longè
Luxuriant. Invadit humum circumfluus humor :
Fit via vi : vivi percunt cum gramine flores ;
Sorbet aquas arbor ; moriturque , ut hydropicus , omnis
Ruris honos : sua vix tutatur villa colonos ,
Quæ , quanto editior , tanto securiōr extat.

Et

Et seu mille viri , seu millia multa virorum
 Approperant , mors hic madida atque ingloria cunctos
 Terrebit , tantumque hæsuris limine primo
 Non dabit introitus agger perfoissus , & illa,
 Quæ supèr unda salit , ditissimaque oppida cingit ,
 Tot quibus in gremium merces vomit Amphitrite ,
 At cum tempus adeat undosum expellere pondus ,
 Et siccis armenta gregesque immittere pratis ,
 Lignea quadruplicem stans machina ventilat alam ,
 Perque vices , quæ vela cadunt , tolluntur in altum ,
 Spumantemque rotant molem , miraque trahuntur
 Arte lacus , sensim nudatà graminis herbâ :
 Nunc celerem celer Eurus agit , nunc mitior Euro
 Vere novo Zephyrus , nunc vis Aquilonis acerbi :
 Moxque , ubi adhuc virides Phœbeam ad Lampada crines
 Siccat Vesta Parens , tondet vaga vacca jacentem ,
 Lata suam quadrupes nutricem calcat , & it grex ,
 It bos , quæ liquidus pridem ibat campus aquarum .

Ergò manu Batavâ , vigilique labore ligonum
 Protinus amotis , quæ frænant flumina , ripis ,
 In pelagus verti undique agros , atque arma dolebat
 Arceri prædasque furor , magnamque , priori
 Exacto , alterius partem ut consumferat anni ,
 Fulvo inhians auro , stabat , via si qua daretur ,
 Annibal ante fores , ubi piscis anasque natatu
 Stagna pererrabant , immersaque pascua stagnis .
 Tunc , quot equi , si tot delphinum terga tulissent
Liligeras acies , prædatrix agmine longo
 Tota cohors tantum transasset sponte profundum ,
 Squammigeroque insignis equo non unus Arion

10
Voce tubaque suo cecinisset more triumphos.

Interea pro Rege suo stans *Gallus Achilles*,
Qui populi in nostris *Dux Luxemburgius* oris
Fræna tenebat adhuc, spiransque immania bella,
Ipse inter primos, maria ut spumantia venti
Præcipites agitant, curarum fluctuat æstu;
Impatiensque hostilis aquæ, quid possit obesse,
Quid cæptis prodesse suis, expendit. At ista
Indaganti ambas rumor non vanus ad aures
It celer, & nova centenis hæc urbibus infert;
Sceptrorum fervore minas, folioque nitentis
Cæsaræs *Leopoldi Aquilas*, & Iberica *Regis*
Hesperii Batavo jungi vexilla *Leoni*,
In *Gallum* egresso signis socialibus, una
Cunctorum dum causa foret, ne scilicet, armis
Terrarum si Roma vetus sibi subdidit' Orbem,
Par fieret veteri Regina *Lutetia Romæ*.

Et spes jam populis, jam sermo erat ille domari
Borbonium sic posse Genus. Pendebat ab ore
Auriaci, nutuque, manus numerosa Cohortum,
Totque Ducem tantum commun'i Marte sequuti,
Et jussi parere duces; quæ sitaque bello
(Quæ tyrocinii *Gulielmo* est gloria primi)
Narda erat in Batavis, idem cum *Scipio* movit
Naſſovius sua signa foras (animoque virili
Ante annos, fortique manu, majora daturus
Exempla) & quæ se mitrata *Colonia* templis
Erigit, ipsum hostile solum terroribus implet,
Martia ferratæ fracturus cornua *Bonnae*,
Et tibi, Galle, viam Rheni occlusurus in undis.

Jamque

Jamque fore immoto parendum ante omnia fato,
 Et nihil in dubiis tūtum magis esse relictum ,
 Quam dixisse ; *Vale* , tentata Batavia fruſtrā ,
 Auriacis *Luxemburgi* mens turbida coeptis
 Fassa fuit , Martemque aliorum vīmque trahendā
 Esse sibi , quā formido , quā *Rhenus* , Apexque
Borbonius poscebat opem , tutelaque Regni.

Mox , ubi colligere invitum fors dura jubebat
 Sarcinulas , Dux idem atque hostis , & incubus Ubi
Trajet in orum antiquæ , diro horrida bello
 Fulmina *Liligeri Jovis* , Herōasque , Ducesque
 Convocat , & solitis Mavortia ad æra cieri ,
 Ore gravi haud levium promturus pondera rerum ,
 Inspirat sic fando animos ; *Gens strenua ferro* ,
Francigenum Robur , *Capita* , o ! in utrumqne parate ,
 Seu vestro pro Rege pati per vulnera mortem
Egregiam , lauros seu porrò annexere lauris ,
Migrandi jam tempus erit : mecum ite , laborum
 Consortes , *Bellonæ* alibi tuba clanget ad aures :
Virtuti patet omne solum . Quæ dextera vobis
Hac pugnax regione fuit , ne desinat ausis
Ad Bonnam certare novis : banc audet in urbem ,
Armorum nobis sociam , *Germania* bello
Irruere . O fortes , quorum invidet illa triumphis !
 Sic sensit nos *Belga* viros , ut *Iberia* *Flandris* ,
Vi ferri , ferre auxilium commota laboret :
Quique Alemannorum *Pbaethou* *Leopoldus* habenas :
Dirigit , ut trepidat ! *Sociorum* ut viribus auget
Vix vires tandem ipse suas ! *Dominantibus* illa
Fortè dies nobis aderit , quando excedet alta

Majestate miser, solioque auroque relictis,
 Gallorum Soli invitus concedet, & ipsæ
 Danubii Nymphæ, Austriacâ quâ nobilis Aulâ
 Vindobona antiquas levat alta ad nubila turres,
 Undis nostra suis fulgentia Lilia cernent.
 Quin & Pellæo juveni par ipsa triumphis,
 Et magna Europæ Domitrix jam Gallia dici
 Posset ovans, ni Trajectini ad mœnia Rheni
 Zeistanis Rex noster agris hæsisset, & illa,
 Quâ toties viguit, si mens non læva fuisse.
 Quæ mora tunc, quænam fortuna noverca trabali
 Figere nos visa est clavo? Quæ causa, quis error
 Fatalisque dies ferrata repagula primus
 Sorti adeò objecit nostræ? ne latior iret,
 Ire gradu proprio quâ cœperat antè, subactis
 Cornibus undantis Rheni, cum tota putaret
 Se fore mox dominos passuram Hollandia Celtas,
 Mitrataque palam stans turri cederet ultrò
 Trajectum, suadente metu. Nunc se invida Tellus
 Fecit inaccessam; Batavâ nunc arte reclusis
 Stagnorum claustris, servatur mersa profundo,
 Quam primo incursu licuisset ad intima totam
 Pervasisse armis, penetrando quâ vomit undas
 Ya potens, fluidusque Urbem fecat Amstela, vobis
 Quæ mundi donasset opes, laurosque perennès.
 Fronto capillata cum se victoria rursum
 Obtulerit, cupidis rapienda erit ocyus ulnis;
 Francigenaque iterum nec Zeista, nec ulla tenebit
 Segnities. Vigilate, Viri, vigilantibus albi
 Advenient lætique dies, titulosque decusque

Audenti Rex ipse dabit. Sin fortis acerbae
 Volvent fata vices; fas est superare ferendo,
 Incusare nefas, quicquid prudentia, quicquid
 Ars hominum cavisse nequit. Spes omnis ademta est
 Calcandi Frisios turmis victricibus agros,
 Groningæque solum. Jam fortior Ya superbit,
 Mattiacusque Leo, madidus toto æquore circum,
 Fædere quem Gallis juncti fortasse Britanni.
 Frænabunt, famulante mari. Formido triumphet
 Battavicæ gentis; Lepores hos rideo, quorum
 Undique nunc nidos tegit unda. Sed unda paventes
 Circundet, terrâgne bibant stagnante salutem
 Sat miseram; vester, fortissima Pectora, fervor
 Inveniet siccos aliorum, ad prælia, campos.
 Quid juvat ulterius putrefacta ad prata morari,
 Ranarum quæ rauca cohors æstate coaxat.
 Dum circumfuso tellus Hollandæ liquore
 Nec pedites Gallos, equitum nec sustinet alas?

Est locus, & nostro non ille est invius ensi,
 Vis ubi Arausiadæ, vincendi raptæ calore,
 Ad Bonnam grassatur atrox, & fulminat armis,
 Fortè Parisiacos jam mox ruitura per agros,
 Ni subito se nostra retrò vestigia vertant,
 Scilicet ut celsus frustrâ se Tyro fatiget,
 Et discat cessisse viris, nec temnere fortes.
 Quid si oriens Sol iste cadat? spes omnis in unda
 Clade cadet Belgis, & nox erit atra malorum.

Ergo agite, & raptæ cumulos præmittite prædæ,
 Custodum stipante manu, seu plaustra juvabit,
 Seu plena onerare rates. Victoria nobis

*Plus satis clara fuit. Mars noster anhelat
Mole gravi. Immodico cum turgent sanguine venæ,
Proderit emissæ aliquid. Quas vidimus urbes,
Vicimus, & propriis premitur mea Gallia lauris.
Oppida jam civi exhausto reddamus, ut omnes
Stemus in Auriacum, Leopoldique agmina, sparsim
Difflantes, foliorum instar, socia undique signa.
Ex voto, velut ante solet, cadat alea belli;
Alter bonus vobis, & spes erit Orbis habendi.*

Dixit, & ut dixit, cuncti, queis unus in unum
Versus adhuc steterat vultus, suffragia sponte
Conjunxere, Ducis non dissentanea verbis;
Quaque via in *Belgas* densis Legionibus aucti,
Grandinis in morem, irruerant, hac oxyus ipsa,
Tot claustra in Batavis, tot aquarum impervia strata
Pertæsi, remeare parant. Mox fræna caballis
Aptantur, solidoque solo portante, vel unda,
Trajecto evehitur passim direpta supplex,
Visque ingens abit argenti, & congestus opum mons.
Jamque tuus, *Luxemburgi*, prior ipse recessus
Addiderat reliquis celeres migrantibus alas,
Curaque post te, tunc equitem, velut umbra, sedebat,
Cædebatque intus surdo tibi verbere pectus.

Abstulerat decus omne herbis, terræque *November*
Mutarat faciem, frigusque reduxerat annus,
Festinans cum mane novo Mars *Liliger* ivit
Quæsitum loca tuta foras, turreisque reliquit
Trajecti, antiquasque domos, urbemque priori
Dissimilem, laceramque, & quam sale sœpè maligno
Defricuere mali: *Vanescite, Lilia, in auras,*

Dixi-

Diximus; ah! lolium infelix, tribulisque repletum,
 Lappisque, & paluero, & circum urente cicutis
 Immixta urticâ, & pungentibus undique spinis.
 Tot nobis quæ *damna dabant!* Non excidet unquam
 Illa milii, dum vivo, dies, qua colla gerentes
 Libera jam cives, populi que aplustria vidi,
 Signa triumphantum, tremulas in turribus alas,
 Et passim *Auriacas* cingentes corpora zonas,
 Ferventesque vias, ac lætæ pabula flammæ,
 Et fora *Liligeris* jam non obsessa maniplis.
 Ah! quoties, quas tu strages, *Bodegrava*, tulisti,
 Tectorumque miser metuebam incendia, tunc cum
 Terribiles vultuque truci, ferroque minaci,
 Grassabantur adhuc furiae, victosque volebant
 Fata pati, quicquid fecisse licentia suasit!
 Fallimur? an *vestræ* pars mansuetudinis ingens
 Illa fuit, rigidus quod (quem distringitis) ensis,
 Borboniæ ò *Acies*, nostri non fuderit amnes
 Sanguinis, & (miseri media inter millia vulgi);
 Efferæ non totam rabies everteret Urbem,
 Qualis erat *Danaum* in *Trojam* furialis *Eriñys*?
 Dum belli certare odiis, dum impunè licebat
 Figere adhuc spoliis unguis, dum sponte per ignes,
 Sponte ruebatis, *Celtæ*, per tela globosque,
 Martem inter medii ac mortem, victricia yobis
 Cinixerunt tot ferta comas, at cardine roto
 Jam verso, ut stiterant vestras res fata secundas,
Nassoviis cessere ausis, qui ferre priorem
 Rege suo, laurisve patem, ac terrentibus Orbem
 Viribus, haud potuere Duces. Nec vana pavoris

Causa

Causa fuit : namque alta prius qui Pergama *Nardæ*
Straverat, infesta mox altera Pergama *Bonneæ*
 Perdomuit *Gulielmus ovans*, ferroque labantem
Battæviam tutâ sic rursum in sede locavit.

Disce , viris ensique nimis quæ , *Gallia* , fidis,
 Non tantum errare agricolas , sed magna crepantes
 Prælia, ubi ayertit lætos occasio vultus,
 Falli posse Duces. Ite agmina ; vimque, dolosque,
 Atrocesque minas intendite ; spargite tela ,
Francigenæ ; muros superate, atque oppida & arces ,
 Crebraque post faustas satiet vos laurea pugnas ;
 Quid vicisse juvat , viætas si linquitis urbes ?
 Laurorum hoc onera evomere est , victoria non est.

Ergo ubi *Trajectina* sibi , quas victor habebat,
 Restitui *Urbs* vidit claves, sua gaudia , claves,
 Quæ civi portarum obices , & mœnia pandunt,
 Atque alias debellatus Bellator in oras
 Excessit , quò *Bonna* adversaque fata vocabant,
 (Vix quod crediderant *Europa* Orbisque futurum)
 Læta aderat , civesque , *Deo* Fautore, revisit
 Pulsa prius ferro Libertas , carior auro.

Magne *Stator Patriæ* , Qui Lunam & celsa serenas
 Lumina , luminibusque , *Pater* , nos aspicis æquis,
 Terrarum Cœlique *Sator* , Spes, Umbo piorum,
 Se totos debere Tibi , suaque omnia , *Belgæ*
 Agnoscent. Grandem remorâ Tu sistere grandi
 Vim poteras , *Regnator* ubique, tot undique sceptrâ
 Qui , *regum Rex* Ipse, regis , Qui nubila nutu
 Ac Solem facis ire Tuo, frænasque premisque
 Deturbaturos , si possent , astra Gigantes ,

Quæ

Quæ dabimus ? quæ sacra Tibi ? Te *Præside* tanto,
 Quod stemus , laus prima Tua est. Vix cominus arma
 Quassabant *Bonnam*, quum, famâ inde eminus actâ .
 Attonitis sibi corda quatî sensere , superbi
 Qui spatia *Ultrajectinum* longinqua per *Agrum*,
 Arvaque plena metu, furibundi Martis Alumani ,
Liligeri Heroës, vi prædatrice premebant.
 Vindice Te , regum arma cadunt. Tu Belgica clemens
 Bella beas, vireisque viris & robora civi
 Servando rediviva dabus. Te tanta Tuorum
 Cura tenet , Te tantus amor. Laus altera forti
Nassovio reddenda, tuas qui frangere cristas,
Galle, potest, Niveis ingentem hinc vivida pennis
 Fama vehit , secumque trahit maria omnia circum,
 Quem juxta sedet aurato *Victoria* curru,
 Exsuperantem ipsos titulorum mole Parentes.
 Hic ille est , qui è funeribus surrexit avitis,
Auriacus Phœnix , ac per discrimina rerum
 Mille abiit, laterique aptat Dux prævius ensem,
 Quique prius Fabii cunctatus more , ruinam
Scipio Battanicus mox avertisse *Batavam*
 Gaudet adhuc , totque arma virûm , totque agmina jussu
 Direxisse suo. Tantus sic Tiphys ubi ipse
 Præfuit ambiguæ Navi , gliscente tumultu
 Multum antè, heu ! passam, decumanis fluctibus actam,
 Solvit ab exitio. Tum verò nonne favoris,
 Spe qui major erat, Divinitus adfuit aura ?
 Adfuit ; atque imbres cessere , & fœta procellis
 Sidera. Proreptæ dira in certamina turmæ,
 (Bellerophontæis agiles levitatibus alæ)

C

Motu

Motu adeò armorumque Ducisque in bella secundo ,
 Infestas stravêre acies. Crevêre tropæa ;
 Ac postliminio veluti redeuntibus , ô quot
 Nata fuêre novas clamantia gaudia lauros !
 Tum natura licet carmen numerosque negaret,
 Aut carmen cives cecinêre , aut carminis umbram,
 Plebe vagâ exultante palam. Quis singula versu,
 Mente quis humana penetret cœlestia dona,
 In patriæ toties communem effusa salutem,
 Dona voluminibus chartæque impressa perenni,
 Dona auro & cedri meritò insculpenda columnis,
 At melius tot fixa animis ? Qnisnam omnia, quisnam
 Laudibus hæc decoret dignis ? Quæ lingua ? Quot ora ?
 Non calami centum , centum non denique voces ;
 Non ego , quem Suadæ haud exornat copia , quique
 Vela , velut fessus jam navita, pono, lubensque
 Lætusque ingredior portum, portuque potitum
 Pulchra folet requies , quam tandem amplector amicam.

F I N I S.